



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DISPUTATIO MEDICA  
 INAUGURALIS  
 DE  
 TARTARO EMETICO:  
 QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.  
 ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,  
 SÛMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
 RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PETRUS STEELE,  
 BRITANNUS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,  
 Academiae Typographos.

M, DCC, LXX.



RICHARDO DIXON, M. D.  
APUD WHITEHAVEN  
IN AGRO CUMBRIENSI,  
OB CURAM ET HUMANITATEM,  
QUIBUSCUM OMNES MISEROS ÆGROTANTES  
PROSEQUI SOLET;  
TUM PRAE CÆTERIS PARENTEM SUUM  
CARISSIMUM,  
SUPREMO FATO COLLUCTANTEM,  
PROSECUTUS EST;  
ITEM, OB SINGULAREM BENEVOLENTIAM,  
QUA SESE AMICO EJUS, PATRI SUO,  
SUPERSTITEM SEMPER DEINDE COLUIT,  
HOC PRIMUM STUDIORUM PROPECTUS  
EXEMPLUM,  
D. D. C. Q.

A U C T O R.



# DISPUTATIO MEDICA

DE

## TARTARO EMETICO.

**E**X omnibus metallicis haecenus cognitis, aut chemica analyfi exploratis, a nullo plus commodi auxiliique five chemici five medici accipitur, quam antimonio. Cujus utique pleniorum historiam eo omittimus, quod haec rectius a plurimis scriptoribus, qui ex professo antimonium tractarunt, petenda videtur; et nobis de unius solum ejus formarum, scilicet, tartari emetici, usu et effectibus, est agendum.

QUAM rem hoc ordine absolvendam puto; primum, pauca quaedam pro historia tartari emetici, nempe, quid sit; quomodo optime conficiatur; quare caeteris antimonialibus anteponatur, dicam. Deinde, de tartari emetici facultatibus, scilicet, quomodo agat; quaeve in dando eo notanda et cavenda sint, expo-

A

nam.

## 2 D E T A R T A R O

nam. Tertio, de ejusdem in febribus, five intermittentibus five continuis, seu in quibusdam aliis morbis, usu, verba faciam.

### I. TARTARI EMETICI HISTORIA.

#### § 1. *Quid sit.*

Ex antimonii regulina parte cum acido tartari conjuncta formatur; color ejus ex albo flavescens; salis prae se speciem fert; idem facile in aqua solvitur.

#### §. 2. *Quomodo optime conficiatur.*

PHARMACOPOEIA Londinensis croco lavato, Edinensis vitro antimonii, utitur. E quibus GULIELMUS SAUNDERS, in sua de antimonio optima disputatione, vitrum anteponendum contendit. Quippe enim crocus salem alkalinum, lotu difficillimum, continet; quo usus medicamento ambiguo fit, et spem nostram fallit. Quod vero ad vitrum attinet, quo id pellucidius et coloris subrubri magis diluti est, eo praestantius existimari potest, et omnibus antimonialibus,

timonialibus, quae in acidis facillime solvuntur, praeponendum videtur. SAUNDERS tres vitri partes, duas tartari, plurima aqua per horas duodecim coquendas esse judicat. Coctio per aliquod tempus necessaria videtur, ut tartarum, quod aegre solutu est, perfectius in vitrum agat. Cui tamen administrationi, cum taedii et laboris plena sit, idcirco ratio et certior et minus operosa, si fieri possit, anteponenda est. Hanc ingeniosissimus praeceptor noster BLACK praeclare monstravit, et sic instituentam esse docet :

VITRUM antimonii mortario ferreo ad crassum pulverem imprimis redigendum, marmoreo postea cum aqua caute terendum ; partibus suspensis deinde elutriatis, plus aquae iterum addendum, et opus toties redintegrandum, donec pulvis subtilissimus perficiatur: Hujus pulveris ac tartari pares partes, vel paulo plus pulveris, punctum saturationis praestabunt. Solutio inde facta per paucas horas coquatur, postea per chartam coletur ; quae, evaporatione debita prius peracta, in chrysallos, quibus color ex albo flavescens sit, nitentes demum vertetur. Verum, cum is ipse nitor aeri objectus amittatur, neque certum



#### 4 D E T A R T A R O

tum fit, quin virtus medicamenti praeterea simul pereat ; ergo id in phiala bene clausa fervari alicujus momenti esse videtur.

AUCTOR \* dictionarii chemici aliud aliquid ad tartarum emeticum perfectius parandum desiderari judicat. Is, " vitrum," ait, " plus minusve calcinetur ; aliae enim portiones aliis obscuriores, quod a nimia phlogisti quantitate retenta oritur, ideoque necessario solubiliores erunt. Quo fiet ut diversae tartari rationes ad saturandum requirantur." Hujus loco mercurius vitae, qui semper eundem calcinationis gradum recipit, acidisque vegetabilibus facile solvitur, apud illum in usu est. Quae tamen ratio mihi parum necessaria propterea videtur, quod color pelluciditasque gradum quo vitrum exustum sit clare satis indicant. Neque mercurio vitae tuto omnino creditur, cum quiddam acidi muriatici retineat ; unde medicamentum prorsus a proposito alienum impetrabitur.

\* Dictionnaire de chemie sous le titre Tartre sibié ou emétique.

§ 3. *Quare Antimonialibus reliquis praestet.*

TARTARUM emeticum caeteris antimonii formis praestare, incertus reliquorum, hujus certus, effectus docet. Verum, cum inter omnes vix ulla forma fit, cui non fautor semper aliquis miras virtutes tribuerit; et plurimae magis aut minus, certe aliquantum, similibus virtutibus polleant, quaedam etiam omni effectu careant: Ut de singulis speciatim differere supervacuum foret, ita omnibus communia quaedam dicere, ad propositum nostrum illustrandum pertinebit.

*Praeparatio qua fit, ut Vinculum Sulphur inter et Metallum solvatur.*

KERMES mineralis, sulphur auratum antimonii, crocus antimonii mitis, omnia in hoc conveniunt, quod in unoquoque eorum pars sulphuris, quae in crudo antimonio infuerat, aufertur; eaeque formae solummodo inter se copia sulphuris ablata differunt, quae, prout

## 6 D E T A R T A R O

prout haec major aut minor fuerit, eo facilius aut difficilius in acidis solutionem perferunt; et sic quoque medicamentum magis aut minus efficax redditur. Ideoque, licet olim iis maximam fidem medici habuerint, nunc rarius in usu sunt, praesertim in casibus ubi actio manifesta requiritur: Neque dubium est quin omnia cedunt certiori remedio nostro.

*Formae, quibus Sulphur omnino, seu maxima ex parte separatur, et ipsum Metallum magis aut minus calcinatur.*

PRAECIPUA forma, qua sulphur omnino seu maxima ex parte separatur, et metallum quodam tenus calcinatur, est vitrum antimonii. Quod per se violentum, cum cera mitius reddi dicitur; hoc tamen statu adhuc incertum invenitur, aliquando violentum, aliquando nullum omnino, effectum edens.

EJUSMODI etiam est emeticum mite BOERHAAVII, et pulvis iste celeberrimus Jacobi dictus: Quorum posteriorem ex effectibus, specie, et experimentis de eo captis, nil aliud nisi calcem antimonii, certo exustionis gradu effectam esse, constat.

Eo-

EODEM etiam pertinent antimonium diaphoreticum et calx antimonii; quorum utrumque, propter nimiam nitri copiam in illis deflagrandis adhibitam, adeo exuritur, ut viribus acidorum resistent, et omnino inertia fiant.

DE quibus omnibus, cum antimonialia solum vim activam, adjuncto acido, possideant; et illa semper major aut minor sit, prout plus minusve partis metallica acido dissolvatur, hoc dicendum est, eorum usum nihil certi promittere. Nam, prout magis aut minus deflagrant, calces plus minusve perfectae evadunt. Antimonium diaphoreticum et calx antimonii adeo penitus calcinantur, ut supra est dictum, ut acidorum actioni resistent, et in ventriculum recepta omnino inertia fiant. Priora quoque, etiamsi aliquod reguli retinent, quicquid efficiunt, id omne in acido ventriculi constabit; quod in aliis hominibus, et in eodem aliis temporibus, longe aliud reperitur. Quam rem illorum experientia qui istis praeparatis usi sunt, praesertim pulvere Jacobi adeo laudato, ita esse testatur. Etenim posterius memoratum, modo vomitum, modo alvum, saepe sudorem movet, et saepissime  
omni

## 8 D E T A R T A R O

omni effectū caret. Quapropter ea, cum adeo inertia, faltem incerta sint, negligenda, et efficaciora nobis quaerenda sunt.

*Praeparatio qua Metallum Acidis conjunctum Salini compositi Formam induit.*

E numero eorum ubi metallum, conjuncto acido, salis compositi formam adipiscitur, primum sunt butyrum antimonii et mercurius vitae: Quae duo tantum proportione acidi muriatici, quocum metallum conjungitur, differunt. Prius propter causticitatem perraro intus adhibitum est. Posterior ita valebit, pro portione acidi in eo retenti; atque si toto acido privetur, calx mera fiet, ut, quae de quibuslibet calcibus objecta sunt, de eo haec ipsa valeant.

ITEM in vino antimoniali pharmacopoeiae Londinensis, et vino emetico Edinensis, crocus antimonii, vulgo metallorum, hoc in loco cum acido vini conjungitur. Quod, qua tamen ratione fiat, minime adhuc constat: propterea quod pro diversa vini aciditate aliud atque aliud erit: Neque sal quoque alkalinus croco adhaerens eandem aciditatem non prius mutabit,

tabit, quam in regulum agere possit. Posteriorius hoc incommodum \* HUXHAM in essentia ejus antimonii praeparanda vitri usu quodam tenuis correxit. Verum et ei idem, quod reliquis, objici jure potest; vina enim, quae similem inter se virtutem possideant, perraro inveniuntur, quo fiet, ut novum quodque infusum a praecedente multum discrepet. Praeterea, quantum antimonii solutum sit nequaquam patet, siquidem materia suspensa adeo subtilis est, ut vix ulla ponderis imminutio in parte quae reliqua est observari queat: Saepe etiam pars, quae suspendi debet, subsidere periclitatur; unde vina antimonialia diutius servata vim emeticam amittunt.

CUM igitur quam ambiguae et incertae sint reliquae antimonii praeparationes, quomodo omnibus tartarum emeticum praestet, deinceps ostendetur. Atque id e ratione parandi supra prolata, qua regulinam partem antimonii cum acido tartari penitus conjungi monstratum est, facile disci potest. Itaque quod reliquis formis, id minime huic objiciendum est, scilicet, iis, in quibus inter regulinam partem et sulphur nexus imminuitur, et quae calcinantur; quorum omnia quicquid valent,

B id

\* Vid. Advertisement to his Treatise on Antimony.

id in acido ventriculi totum consistit. Neque huic, sicut quibusdam in quibus metallum jam cum acidis conjungitur, talis fit aut causticitas, aut incerta conjunctio, aut materiae adjunctae depositio. Quibus omnibus rite perpenſis, tartarum emeticum plerumque, si non semper, caeteris antimonialibus anteponendum esse patebit.

## II. DE TARTARI EMETICI FACULTATIBUS.

### § I. *Quomodo agat.*

IN hoc capite varios tartari emetici in corpore effectus, pro variis exhibendi rationibus, considerabimus.

UBI octava, quarta, vel dimidia pars grani, aqua soluta, datur, horae spatium dimidio, aut paulo majori, vel tota etiam hora inter quamque dosin interposita, NAUSEAM sine vomitu excitat. Quem effectum pro arbitrio in quodvis temporis spatium, vel augendo vel minuendo portionem, aut intervalla longiora breviorave

viorave faciendo, prout ventriculus ferat, extendere licebit.

EUMQUE affectum haec comitari solent: Molestus anxiusque circa praecordia sensus; in summo corpore pallor; horroris quiddam; arteriarum percussus frequentiores; spirandi labor; suspiria; cum ventris murmure inflatio; salivae supra modum profusio; vomendi frustra cupiditas; quorum omnia reactionem appropinquantem denotant. Post quae deinde spasmi sensusque in summo corpore constrictionis decedunt; spiritus pulsusque liberiore; ad extrema vasa totius corporis vis nervosae ac sanguinis distributio aequalis, praesertim ad exteriora. Haec, postremo, terminantur in diaphoresin lenem, eamque toto corpore, cum tranquillitate et ad somnum proclivitatem; vel dejectionem modicam; vel etiam utramque.

QUOD si grana vel semigrana singula singulis dimidiis vel integris horis administrantur, tartarum, praeter nauseam, VOMITUM LENEM movendi vim adipiscitur.

ATQUE hic omnia vel pleraque symptomatum, nauseam comitantia, accidunt; licet hic transitus ab his ad sequentia magis celer obtineat.



obtineat. Primum corpus modice concutitur; ventriculi contenta ejiciuntur; succi gastrici secretio augetur. Tum magis strenue reagitur; spasmus citius solvitur; et ad vascula secretoriorum et superficiei extrema percitatur sanguis ac vis nervosa. Sudor quam in precedenti casu copiosior; fatigatus, ad quietem proclivus est homo; alvus forsan semel bisve dejicitur.

Duo triave grana ad vomitum fere protinus vehementemque concitandum ut plurimum sufficiunt. Quo facto omnia phaenomena vomitum lenem comitantia, sed multo altiore gradu, adparent. Plurimum agitur corpus; valde excitatur; ac sanguis multum percitatur. Pro tempore copiosus elicitor sudor. Homo quam maxime delassatur.

AD quem postremum effectum vitandum, remedium nostrum perraro, aut nunquam, posteriore hac ratione usurpari oportet. Omnibus enim notum est excitationi magnae, causa jam remota, statim parem succedere collapsum; atque sic quoque, debilitato homine, salutare effectus nobis antea sperati, contrariis prorsus superabuntur. Ergo, ad lenem vomitum movendum, medicinae exiguum aliquid potius

potius quam multum dari oportebit. Itaque omnes boni ejus pro emetico effectus impetrari, et mala violentem ejus usum comitantia vitari, possunt.

IN tribus de quibus modo dictis casibus, tartarum emeticum solutum tantum dandum posuimus. Si vero actio ejus ad intestina, ventriculo non adeo multum affecto, vertitur, forma boli aut pilulae erit anteponenda. In hoc quoque casu nausea cum leni diaphoresi incidit; certius tamen pylorum pertransit, intestina stimulat, et dejectionem, ut alia mitia cathartica, sollicitat. Hoc quoque consilium in prioribus exhibendi rationibus, sicut supra dictum, plus minusve perficitur. Namque in primo, quo nausea fit, effectus haud absimiles oriuntur. In secundo, ubi lenis vomitus oritur, etiam obtinet, praesertim si plurimum nauseae vomitui ipsi praecesserit. Quod si in tertio, ubi gravis vomitus commovetur, idem obtineat, a concussione intestinorum, una cum totius corporis, et aucto motu peristaltico diversisque secretionibus, dejectio tantum sollicitatur; minime autem a medicamento intestina stimulantē id fieri credendum; non enim  
fatis

fatis diu retinetur, ut transitus supra pylorum efficiendo fieri possit.

ITAQUE per has tartari emetici administrandi rationes, et varia ejus utendi consilia, haud sine causa efficitur, ut caeteris antimonialibus anteferatur. Sic officio trium generum remediorum fungi comperimus, scilicet, emeticorum, cathartorum, et diaphoreticorum; quorum magna varietas et adhibita est, et nunc quoque adhibetur. Quod quidem illis omnibus casibus praestare haud affirmaverim. Hoc solum a supra dictis contendo, scilicet, simplicitatem id commendare, et inter varia remedia materiae medicae nullum esse, quod trium disparium generum aequae ac tartarum emeticum usum explet.

§ 2. *Quae in Exhibitione notanda et cavenda sint.*

QUOSCUNQUE autem effectus a remedii nostri usu volumus, semper varias aegrotantis conditiones spectare oportet: Cujus rei ratio multum ad curationem valere, et ad dosin constituendam conferre, potest.

QUI-

QUIBUS imprimis corpus natura quam maxime irritabile accidit; quibus eventus, a causis levissimis orti, periculosi nascuntur; quos odores peculiare, quaedam oculis aut animo objecta, atque alia id genus, in nauseam, vomitum, immo etiam convulsiones, facile conjiciunt; his omnibus si paululum tantum animum advertamus, multo minus quam in contrariis naturis dandum esse adparebit.

NONNULLI praeterea, qui in statu sano difficillimi affectu, vel etiam torpidi fuerunt, morbis implicati, adeo irritabiles sensilesque fiunt, ut levissima quaque causa permoveantur; qui lucem omnem et strepitum haudquaquam patiuntur, et odorem speciemque cibi cujuslibet refugiunt, nauseant; his exiguum portionem satis esse ad diversos creandos effectus concludere liceat. Hoc ex usu ejus quotidiano pro comperto habemus, ubi dimidium vel totum granum nonnullos aequè efficaciter, ac quatuor, sex, vel octo, alios movebit.

PRÆTEREA, summo opere cavendum, ne quare inter dandum commisceatur tartarum emeticum, quae ad id decomponendum spectet; nam, si acidum a metallo attrahatur, calx revera fiet, et indolis ejus dubiae quoque parti-

ceps

ceps erit. Nunquam igitur absorbentibus vel alkalinis conjunctum administrandum est. Quod si julapium salinum, quod saepe fieri solet, sit, cura ut perfecte saturetur adhibenda est; videndumque ne qua alkalinum et ut potius acidum vincat; quo pacto laboranti et gratius, et effectibus certius, redditur medicamentum. Potestas solvens optima aqua purissima est.

RURSUS, si per aliquod temporis spatium nauseam sine vomitu durare voles, praeter praecepta de intervallis dosibusque propriis supra data, cavendum, ne aeger tepida diluentia bibat; quia talia vomitum certissimum cierent. Ubi vero jam nausea desit, et lenis diaphoresis incipit, illa libere atque cum comodo haurire demum licebit, quippe quae sanguinem certissimo effectū ad summum corpus ciebut, et citum servabunt.

POSTREMO, idoneum ejus dandi tempus, quod maximi momenti est, maxime quoque nobis observandum est. Quod utique cum conditionibus quibusdam quamplurimum variet, nil de eo, antequam ad virtutem ejus in febribus medendis in sequenti capite sermo fuerit deductus.

### III. DE TARTARI EMETICI IN FEBRIBUS USU.

UT ad tertium et ultimum disputationis hujus caput transeam, in quo proprium maximeque idoneum tartari emetici in febribus sanandis usum ostendere volui; imprimis, necesse erit exponere plurimos status morbosos ac species, quales sunt, in primas vias congestiones, debilitas, spasmus, sanguinis ac potestatis nervosae impetus inaequales, secretiones atque excretiones impeditae, multaque alia, quae haec sequuntur, incidere: Sive quibus obviam eundo, sive tollendo, tartari emetici facultates jam ante expositae insigniter accommodatae videntur. Aut, si solum in hoc tartarum emeticum parum sufficit, certe aliorum remediorum, ut sanguinis detractionis rite adhibitae, usum vel sequetur, vel aliis efficacioribus, ut cortici Peruviano, qui corpus ad perfectam sanitatem restituat, viam recte sternet. Hinc emetica, et prae caeteris antimonialia, multum prodesse plurimi sunt testati.

SOLUS omnium memoria dignorum hoc tempore scriptorum, DE HAEN emeticorum usum e febrium curatione rejicit, vel inter limites angustissimos coercet. Quod is HIPPOCRATE auctore adductus fecisse videtur. In libro, qui \* Ratio Medendi inscribitur, puellae, quae, cum emeticum in initio "faevae pleuritidis" adhibitum esset, septimo die mortua sit, infelicem casum memorat; inspectoque cadavere, "quam miserrime in illa thorax totusque pulmo affecti" reperti sunt. Qui casus apud illum semper deinde plurimum ad emeticorum diffidentiam valet. In quo autem hoc memorabile est, quod is de alio remedio usurpato praeter emeticum nullum facit verbum; idque haudquaquam ex leniori genere fuisse verisimillimum est. Siquidem, quoties ille emeticorum mentionem facit, vehementissima semper fuisse animadvertuntur; unde in tali casu, quam non idoneus talis remedii usus foret, nemini obscurum esse potest. Neque unquam emetica usurpanda DE HAEN judicat, nisi ubi † putridae bilis, ut morbi causae,

\* Ratio medendi, p. 6. &amp; 7.

† Ibid, p. 59.

fae, indicia deprehenderit. Quam quidem omni cura ejiciendam nemo non ei concedet; sed eandem esse causam febrem continentem, aequè falso credit, ac emetica, nisi, adversus eam, nocere ille contendit. Quod si nosset tartarum emeticum, in certis febrium temporibus et certa portione datum, effectus non solum non violentos et malos, sed e contrario mites et salutiferos, edere, profecto talium remedium usui nunquam tanta cum contentione foret adversatus.

VERUM, ut ad rem redeamus, nempe hujus medicamenti in febribus usum; id iis, ut modo dictum est, utilissimum invenietur remedium; et, sive tractabilitatem commodam sive eximias ejus virtutes spectes, plurimis affectibus morbofis occurrere, et salutiferum in primis esse. In qua re intra \* febres, seu primum classis pyrexiarum Cullenianae ordinem, sermonem maxime continebo.

§ I. *In Intermittentibus.*

IN febribus intermittentibus tartarum emeticum primo ventriculum et intestina, saepissime

\* Cull. synop. nosol. meth. P. IV p. 254. &c.



sime biliosis aliisque rebus acerbis onusta, expurgat et deterget. Quae res, licet causam morbi non contineant, cruditatem faciendo, et primarum viarum ac proinde totius corporis debilitatem augendo, semper malum irritant. Eodem etiam modo, biliferos et pancreaticos ductus, ventriculi et intestinorum excretoria, emulget; atque ita, quo minus congestiones in visceribus abdominalibus efformentur, prohibet. Quibus quidem si non cito occurritur, saepenumero plurimis tam morbis futuris viam faciunt, quam praesentem producant.

AD haec efficienda, tartari emetici larga portio, et uno tempore data, respondere potest. Verum aequo certo ac multo tutius dabitur, ut intra lenem vomitum effectus ejus consistat; eoque magis id mihi faciendum videtur, quod plerumque in his casibus nausea multum incommodat, quae ope stimuli paulo majoris, ad effectus optatos adipiscendos, opus esse indicat.

VERUM, ubicunque emeticis in intermittentibus opus est, justum vomitum, ut plerique crediderunt, non semper necessario requiri, observatio CULLENI, in praelectionibus de medicinae

dicinae usu, luculento documento est : Is saepe frigus, immo etiam ulteriorem morbi progressum, tartaro emetico citra vomitum dato, intercisum prorsus vidit. Neque tamen nunquam necessarium esse vomitum existimari dicere velim. Quoties enim fordes in ventriculo et tubo intestinali abundant, eas expellere omni ratione oportet. Quem vomitum, quo tempore primum tartarum datur, protinus moveri tutissimum forsan foret.

SED praeter hoc, quaedam porro ulteriora majoraque multo, nempe diuturnior in ventriculum actio, certior ad summum corpus sanguinis impetus, isque sustentatus et servatus, postulantur. Quae omnia a plena dosi nunquam tam bene impetrari possunt. Etenim emeticum plena dosi datum, praeter vomitum, etiam sudorem ciet ; qui, ut pro tempore profundatur, ita minime tamen durat ; idque fit, quia totum medicamentum e corpore rejicitur, et ulteriori in corpus effectui resistitur. Praeterea, haec ejus actio vires hominis conficit, debilitatemque adauget : Quo forsitan fit, ut emeticum toties accessionem, sive accedentem, seu jam praesentem, summovet, et raro ex toto morbum solvit. Veri igitur simili-

millimum est, postquam eliminanda eliminata sunt, quoad manet adhuc debilitas, et accessionum reditui occasionem praebet, tartari emetici exiguum aliquid subinde datum, spasmo occurrendo, et efficacius ad summum corpus, per vaforum extremorum illic idoneam actionem restitutam, sanguinem percitando, optime ad sententiam respondere. Item diutius sic intus retentum, pylorum certius transibit, in intestina ipsa aget, ibi excretionem auget, et totum tubum intestinale expurgabit.

PORRO, quoties intermissiones obscuriores et minus perfectae sunt, et in earum locum remissiones subierunt, quod saepenumero accidit, haec ratio medicamenti dandi, ad febrem fugandam, optima esse videtur; atque sanguinis detractionis, quae symptomata levandi causa interdum adhibetur, supervacuum usum facere potest.

QUOD ad maxime idoneum dandi tempus attinet, alii alia praeceperunt; ut nonnulli, qui circa mediam intermissionem, hoc modo febrem arte excitando, accessionum ordinem et tenorem perturbandum, existimarunt. Verum hujus consilii pessimos eventus saepe ipse vidi;  
et

et adeo accessioni proximae non occurrere, ut e contrario graviolem eam redderet; quod debilitati, per largiorem iusto dofim, et alieno tempore adhibitam, adauctae debitum effe videtur.

ALII sub frigoris finem, aut caloris initium, medicamentum adminiftrandum iudicant; quo tempore natura per naufeam et vomitum, qui tunc faepe incidunt, illud opus effe indicet, ut \* CELSUS; qui “cum primum,” inquit, “aliquis inhorruit, et ex horrore incaluit, dare ei oportet potui tepidam aquam subfalfam, et vomere eum cogere;” ut † ALEXANDER THOMSON medicus Montifrofenfis, qui nuper hoc CELSI confilium renovatum multis extulit laudibus. Neque dubium eft quin talis curatio poffit respondere; utpote quae, ad caloris tempus contrahendum, et fudorem maturius ciendum, apta videatur. At tamen, Cur aegrotans tamdiu cum injucundo frigoris fenfu luctari permittatur? Cur congeftionibus in vifceribus abdominis, aliifve, occasio detur? Cur periculo sub majori frigoris

\* Liber tertius, cap. xii.  
art. 24.

† Medical effays, vol. iv.

ris diuturnitate intereundi, quod aliquando fit, homo objiciatur? Cur denique, si his et similibus malis occurrendi copia datur, non adeo optati auxilii periculum faciendum? Reque vera per certissimam experimentorum fidem nunc constat, emetica, et maxime tartarum emeticum, protinus ante frigoris accessionem, vel quamprimum post eam dare, optimum factu esse. Scilicet, sic spasmus ne fiat occurritur, aut factus solvitur facilius, et tota accessio expeditius quam ulla alia ratione tollitur. Itaque remedium, bis terve hoc modo datum, morbum funditus solvere compertum est. Aut, si non solvitur morbus, corpus magis idoneum quod corticem Peruvianum, et alia tonica, quibus ad pristinum vigorem restitui solet, recipiat, nunquam non efficitur.

§ 2. *In Continuis.*

FELICIBUS effectibus remedii nostri vel protinus antea vel cito post intermittens coeptam accessionem expositis, hic requiri potest, Annon aequè feliciter primo cujuslibet febris

febris insultu adhibendum videatur : Pleraeque febres cum aliquo frigoris et horroris sensu, lassitudine, debilitate, cibi fastidio, aliisque similibus adfectibus, incipiunt ; et haec modo citius discedunt, modo diutius permanent.

COMPLURIUM consuetudo est, post frigus quomodocunque incidens ; sive aliquis frigidus et humidus coelo, praesertim sudans, objectus sit, sive crapula, labor immodicus, exercitatio vehemens, quem in morbum conjecerint ; ubi talia, qualia febrem appropinquantem indicant, se ostendunt, tempestitiva cura adhibita, lecto petito, diluente aliquo vel stimulante cardiaco liquore epoto, et largo sudore sic expresso, omnia illa mala esse discessura. Et revera talis administratio saepe ad sententiam procedit. Verum cum saepe etiam spem fallat, atque etiam omnia graviora reddat ; idque eo forsitan fiat vel ob moram sic interpositam, vel quod quaedam hujusmodi remedia, per vehementem eorum naturam, magis ad firmandum spasmodum quam solvendum tendunt : Hoc ubi fit, pro administratione tartari emetici, portiones nauseam facientes, spasmodum solvendo, ad summa corporis sanguinem citando, et citum deinde certa cu-

D

ratione

ratione fervando, ad votum magis respondebunt.

ITAQUE febrium epidemicarum et malarum initio, emetica ex summo usu fuisse, pertissimi medici testantur. Harum febrium causae agere, magnam nervosam debilitatem faciendo, videntur. Unde forsitan spasmus, qui ut initio morbi facilis, ita eo provento difficillimus fit solutu. Neque unquam vis medicatrix talium medicamentorum usum apertius submonstrat, quam circa febrium accessionem; ubi plerumque nausea manifesta, saepe etiam vomitus, insidere simul solent.

IN initio febris nervosae curatione, HUXHAM, in eandem sententiam, verba hujuscemodi habet: \* “ Lenis vomitus utilis, immo necessarius est, ubi nausea, oppressio, et ventriculi aegritudo premunt.” Item de † febre putrida maligna loquens. ‡ JOANNES PRINGLE eques, in primo inquit febris carcerum stadio, “ Emeticum dando, et postea sanguinem ad summum corpus citum fervando, quo minus

\* *Essay on fevers*, p. 81.  
of the army, p. 314.

† *Ibid.* p. 109. ‡ *Disea-*

“ ulterius

“ulterius morbus progredetur, prohibui.”  
 \* HOFFMAN de vomitoriorum cauto et praestantissimo usu, “In morbis,” ait, “qui contagio serpunt, et insigniter pernicialis indolis sunt, ut pestis, petechiales febres, febris acuta cum phrenitide, sive sic dictus morbus Hungaricus, emeticum, gliscente adhuc sub initium miasmate, cum alexipharmaco datum, summam promittit securitatem, et faepenumero capitales has aegritudines primain herba felicissime jugulat.” Quam rem etiam magis ad rem confirmat ingeniosus et accuratus LINDIUS, qui vel in primo morbi exordio, cum ullum contagionis et febris securitaturae indicium adpareret, postquam emetici quamprimum manentibus rigoribus dandi necessitatem, et omnis morae et cunctationis de ejus usu periculum, demonstravit, sic porro pergit: † “Hujus medicamenti adeo vulgata per nosocomion vis est, et nostris experimentis adeo explorata, ut quoties aliquis, qui officii causa in febricitantium cubiculis versatur, aegrotare coepit, is sua sponte protinus ad ejus

\* Opera omnia, tom. 4. pars 2. p. 98. † Papers on fevers and infection, p. 66.



ufum decurrit, et plerumque metuendum alioquin malum devitat. Neque adverfus morbi reditum protinus una cum rigoribus adparentibus vomitus minus efficax.”

QUÆ testimonia et experimenta, emeticorum in febribus contagiosis utilitatem confirman-  
tia, fpem faciunt, eadem pari ex ufu in cujufvis febris initio effe poffe. Eoque id verifimilius mihi eft, quod febrilia mala, priufquam longius profecta funt, aut jam faevire incipiunt, eandem fere fpociem praebeant, et varia tantum pro variis aegrotantium habitibus magnitudine feu gradu discrepent. Neque ab eadem caufa, fcilicet fpafmo extremorum fummi corporis vaforum, non etiam oriuntur; quo sublato, facile illa folvuntur.

Hoc confilio \*, LINDIUS ipecacuanham a granis fenis ad dena adhibendam, et homini poftca in lectum delato, falis c. c. tincturae thebaicae, aliorumque fimilium ope, fudandum fuadet. Quum autem ipecacuanhae vires adeo fugaces fint, et auxilium aliorum remediorum exigant, et reliqua antimonialia febres fugante virtute, nonnulla, ipfo † LINDIO iudice,

\* Papers on fevers and infection, p. 67. † Ibid, p. 82.

hac potentissima polleant; et si ita res sese habeat, Cur non tartarum emeticum caeteris semper emeticis anteponatur? Cur non potius, sub febris initium, ubi virtutis febrifugae summa spes promittitur, quam ipecacuanha, adhibeatur? Profecto, cum quanto tartari emetici diuturnior stimulus sit considerem; quamque certiore effectu vasorum summi corporis actionem restituat, et fervet restitutam, reputem; et omnes aliorum emeticorum usus in eo uno fitos videam, non possum non credere illum omnibus anteponendum esse.

IGITUR, si primae viae fordent, eo leniter vomendum: Si non fordent, nauseam movisse fat est. Commodique hoc praeterea habet, ut alvum semel vel bis dejiciat, quod in hujusmodi casibus saepe desideratur. Sic febris cursu interciso, plurima mala, proVectiorem eam alioquin secutura, ut sanguinis in partes aut in viscera congestum, summam debilitatem, robur toto corpore fractum, prohibendi summa spes est.

VERUM cum haec ratio, ut salutaris, in nostra non sit semper potestate, et, sive ob morbi pertinaciam, sive propter malam hominum administrationem, is diutius saepe per-  
stet;

stet; eoque usque ut aliis remediis, quibus vel tartari emetici usus tutus reddatur, vel sanitas perfectius reducatur, opus sit; quem usum id in iis casibus habeat, deinceps anquirendum.

*In Synocha.*

PLURIMÆ synochæ species opem ab arte raro exigunt, quippe quibus subitus adventus, subita solutio, contingat. Verum, sicut aliæ sunt, quæ, ut paulatim magis accedunt, ita diutius permanent; et quorum signa celeriter tamen crescunt, et magnam quoque vehementiam adipiscuntur; quæque robustis ac athleticis, habitum inflammatorium habentibus accidunt; et quorum hæc fere signa sunt, capitis, tergi, et lumborum dolores, vultus et oculi sanguine suffusi, isque summo turgens corpore, calor ad ardorem quasi surgens, sitis, percussus arteriarum pleni, validi, duri, spiritus creber, et alia similia: Postquam hæc larga semel aut iterum forsan sanguinis detractioe multum jam remiserint, et corporis cum vigore nimio tonus fuerit imminutus, tum demum tartari emetici

emetici adhibendi dabitur occasio. Cujus exiguum subinde, ad nauseam creandam, datu optimum erit. Atque sic spasmus, jam ante memorata administratione inclinans, ex toto largis sudoribus summovebitur, et saepe radicitus morbus tolletur.

*In Typho.*

TYPHUS e contrario, lentius accedens, quasi adrepat, leni incipiens horrore, quem calor mox, naturali plerumque sed non multo major, excipit. Cui vertigo et aliquis capitis dolor succedit; cibus fastiditur; negotii omnis, omnes motus, aegrotantem taedet; arteriarum percussus exigui, citi, et celeres fiunt. In quo rerum statu, per dies aliquot homo ita languidum corpus trahit, ut sese febricitare minime sentiat; crescente interea ea debilitate, quae mox lecto eum affigit. Jamque omnia in pejus ruunt. Tremores saepe, et levissimo quoque motu animae defectiones, cum lento delirio seu typhomania, incidunt. Arteriae nunc citantur, nunc debili interdum tremulo motu micant. Quo eodem tempore accessiones, forsitan

forſitan ob magnam naturae jam debilitatem, obſcurantur.

Hoc etiam in rerum ſtatu, tartarum emeticum, eo confilio datum ut nauſeam ſuſcitet, magno ex uſu eſſe repertum eſt. Quippe quod extrema corporis ſummi vaſa excitet; actionem naturalem reſtituat; lenem et aequalem madorem, pro frigido, qui ante fuerit, eliciat. Atque ſic quoque in meliora omnia mutantur; delirium eſt uigilia conſopiantur, ſomnus recreans paritur. \* LINDIUS, poſtquam aliquis per plures dies ſenſibus privatus, comatoſus et jam deſperatus, ſtupente cerebro, et omnibus vitae organis oppreſſis aut laborantibus, jacuerat, largam vini antimonialis copiam dare proſpere conſuevit. Neque, ut ſaepe jam dictum eſt, obſtabat quicquam, quin aequae, ac forſitan magis proſpere, medicamento noſtro curaviſſet. Neque diſſimulandum tamen eſt, quanquam febris nervoſis proſpectioribus tartarum emeticum plurimum ſaepe proſit, quin fallat etiam ſpem medentium, et aliis remediis, ut veſicatoriis quae ſpafmo ſolvendo perquam idonea ſunt, ut vi-

\* *Diseases of Europeans in warm climes*, p. 280.

no et cortici Peruviano, quae robur sustentant et restituunt, in earundem curatione cedat.

*In Synocha.*

SYNOCHUS compositus duabus febris modo memoratis, \* “Initio synocha, progressu et “versus finem typhus.” Dum prior igitur manet, sanguinis detractio ideo postulatur: Cavendum tamen ne is liberius detrahatur; sic enim in typhum ut omnia magis ruant, et pejoris naturae sint, efficitur. Etiam si enim morbus in praesentia synocha esse, et futurus videatur; tamen, si plenus et robustus habitus qui illam constituit abest, jure suspicandum est, si tempestivis remediis malo non fuerit occursum, id in typhi formam cito discessurum. Ob quam causam sanguine, si opus fuerit, prius misso, ad usum tartari emetici recte decurratur.

Quod vero ad ejus dandi rationem attinet, id, ut saepius jam ante praemonitum est, conditionibus aegrotantis regendum est; supra-

\* Cul. synop. nosol. meth. part 4. p. 257.

que eo et infra, si fordescunt primae viae, purgandum. Sin minus fordescunt, ad sanguinem in summum corpus ciendum sola nausea opus est. Quo facto, et pyrexia rejecta, vel remissione saltem parta, occasionem corticis Peruviani dandi omitti non oportet, quippe qui typhi avertendi haud incertam spem promittat. Quod si typhus nihilo tamen fecius obvenerit, tamen tartarum emeticum, eadem ac in justo typho ratione administratum, eundem usum habebit.

Sic tartari emetici in febribus continuis usu constituto, quo tempore potissimum dari id conveniat, deinceps est dicendum.

QUA in re iudicium nostrum quotidianorum circuituum, quibus corpora nostra in sanitate revolvuntur, multum ratio juvabit. Siquidem iidem, ut in nonnullis morbis clarius, in aliis obscurius, tamen in longe plerisque, adhibita diligentia, discernendi sunt.

QUORUM circuituum in hominibus sanis hic fere ordo est. Tempore matutino, quo mox surgendum e lecto est, recumbenti adhuc homini pulsus tardissimi reperiuntur; qui surgendi commotione, licet paulo celeriores brevi mora facti, tamen, mox ad aequalem tenorem

rem redeuntes, ita tardantur, ut, paulatim celeriores usque ad meridiem circiter, eo celerrimi fiant. Post quod deinde, sensim tardescentes, sed prandio paulisper sustentati, circa septimam horam vespertinam iterum cadunt; eodem porro tenore paulatim resurgentes, circa mediam fere noctem, aut horam matutinam secundam, denuo citissimi futuri. Postquam ad tempus vigiliae tardescendi paulatim rationem similem servant.

PÖRRO, cum ii ipsi circuitus febrium continuarum magis aut minus, intermittentium momenta maxime et manifesto, regant; et harum accessiones funditus tolli illarum initio, saltem reprimi possint; ideo ante accessiones et dare tartarum emeticum optimum semper videtur. Quodque ad frequentiam attinet, semel die dedisse plerumque satis erit, nempe ante accessionem vespertinam; quae et maxime evidens est, et non prohibita aut imminuta inquietam et insomnem noctem reddet. Licet, si bis die medicina opus erit, ante meridionalem circuitum iterum dare conveniat.

ATQUE hi circuitus eo diligentiore animadversione servandi videntur, quo magis ad tempora, quibus alia remedia efficacia cum



maxime dari conveniat; statuenda aequae  
pertineant\*.

§ 3. *In quibusdam aliis Morbis.*

*In Phlegmasiis.*

IN internis phlegmasiis, ubi fugere stimulan-  
quodque praecipuum est consilium; tartarum  
emeticum contrarium aut anceps videri potest.  
Neque nego quin in nonnullis, ut gastritide et  
enteritide, ubi ipsis locis inflammatis stimulus  
admovetur, ita sit habendum. Verum in a-  
liis, ubi stimulus loca laborantia non attingit,  
et sanguis eodem summi corporis constrictio-  
ne congestus malum usque irritat, ad sangui-  
nem inde ad summa corporis avertendum me-  
dicina nostra usui esse promittit: Magisque si  
sanguis, jam ante liberius detractus, relictus in-  
tus communem impetum fregit. Et sane fe-

\* Hanc de nervosis corporum nostrorum momentis  
doctrinam tam in sanitate quam in morbis inter paucos;  
Cullenus, longa verum observatione exploratam, et ad  
usum summo ingenio deductam, nuper nobis dedit.

licitas ejus in rheumatismi acuti curatione, ejus ipse toties testis fui, usum ejus multo latius in aliis phlegmasiis suadet, quam ver-  
fatorum in curationibus virorum auctoritas adhuc concessit.

*In Exanthematis.*

IN plurimis exanthematis, initio, vel brevi post id, ubi gravioris morbi futuri signa sunt, tartarum emeticum juvare poterit; ut, exempli ergo, in variolis. Siquidem summi corporis constrictio, quae humorem perspirabilem minus libere per foramina sua dimanare finit; ideoque, ut verisimile est, et humorem vario-  
losum exitui prohibet, hujusmodi remedii vir-  
tute optime solvi potest. Neque in ipsa peste non tartari emetici aliquis quoque usus est. De qua praeceptor noster illustris CULLENUS, “ Si,” inquit, “ cum peste, aut similis morbus, per populum grassatur, emeticum, quo tem-  
pore prima signa adparent, protinus datur, summa spes est futuri mali radicitus sic prae-  
cidendi, et millia aliter certa pernicie peritu-  
rorum crudeli fato eripiendi.” Ad quem ca-  
sum,

sum, praeter virtutem ejus toties laudatam, simplicitas tartari emetici, quod vulgi administrationi tuto credi potest, aptissimum illud reddit.

VERUM etiam post exanthematum principia, iisque longius jam proVectis, auxilio esse potest, scilicet, ubi anxietas, oppressio, et alia, sanguinem intus congeri et omnia degravare, significant. Idem, initio febris variolarum secundariae datum, hanc multo leviozem praestat.

*In Haemorrhagiis.*

NEQUE, emetica in haemorrhagiis utilia esse, defunt experimenta. Quae quidem solus omnium doctorum medicorum \* BRYAN ROBINSONUS, tum in haemorrhagiis quibuslibet, tum praecipue pulmonali, profuisse saepius testatur. Quod si profint, ut, sanguinem ab affecta parte ad summa corporis revoeando, profint necesse est. Qua in re tartari emetici tantillum datum, quantillum nauseam creat, vomitui justo anteponerem. Quod judicium nostrum

strum

\* Observations on the virtues and operations of medicines, p. 146, &c.

strum non sine re esse, gestationis modicae successus, cujus actio in libera et constanti perspiratione servanda, et sanguinem aequaliter distribuendo, consistit, alteri argumento est. Idem eo utilius foret, ubi exercitatio non caret periculo. Ipse accessionem haemoptoes vespertinam multo levatam, eo ante hanc protinus dato, vidi: Quod commodum in quavis haemorrhagia activa aeque sperare licet.

*In Profluviis.*

EMETICA etiam in profluviis, ac praesertim dysenteria, egregiam opem conferre plerique existimaverunt. Quod utique, materiam morbificam ejiciendo, utpote tanto effectui imparia, non faciunt; sed ad summa corporis sanguinem et humores solitos revocando, febrili, dysenteriae origini, obviam eunt. Ex qua agendi ratione, quare reliquis omnibus tartarum emeticum adeo antecellat, haud difficile intellectu est; eoque minus de ejus praestantia ambigendum est, quod infra simul purgat, quo nihil adversus dysenteriam efficacius est. Infra purgando, coli actionem spasmis impeditam

## 40 DE TARTARO, &c.

ditam et constrictam expedit, et illuc impactum stercus durum solutum alvo expellit. Eadem ratione, mucosa et grumosa, alvo prius reddita, in naturales dejectiones mutantur, vel multum corriguntur. Desidendi frustra cupiditas vel nulla amplius vel multo utique minor fit.

RESTANT plurima de tartari emetici adversus vitia cutanea aut cachexias alias virtutibus dicenda; quae, partim ob difficultatem omnia de eo comprehendendi, partim temporis angustia deterritus, et aliis studiis districtus, in medio relinquere cogor.

F I N I S.